...Hasta triplex de morte tri-
umphans in funere Mart. Raciborowski
repraesentata.

HASTA TRIPLEX DE MORTE TRIUMPHANS

IN FUNERE

Generosi & Magnifici Domini,

D. MARTINI IN RACIBOROWICE RACIBOROWSKI,

Ducatuum Zatoriensis, & Osuentimensis

TRIBUNI,

Viri longè dignissimi, &c. &c.

Magno omnium dolore exstincti,

Lugubri Elego

REPRÆSENTATA,

A Rndo Pre NICOLAO PASCIO, *Pleb: in Pobiodr.*

Anno triumphatæ mortis & reparatæ salutis, 1665. *Die 12. Januar:*

CRACOVIÆ,

In Officina SCHEDELIANA, *S. R. M. Typogr.*

IN STEMMA Piè DEFVNCTI.



Sceptra Ducum, Patrumq; Mitras, diademata REGVM,
Quæ deiecit atrox, in cineresq; dedit:
RATIBOROVIACAS HASTAS furibunda petiuit,
Freta truci dextrâ, cinctaq; falce ferâ.
Heû, proſtrata iacent ferali vulnere Tela!
Parca ferox ſpolij quid tamen inde rapis?
Pro ſpolio Cineres gaudes tenuiſſe, perennem
Poſt Cineres laudem RACIBOROWSKI refert.

Cecinit JOANNES CASIMIRVS PASCIVS,
Maior: Ord: SVBDIACONVS.

PERILLVSTRIBVS, ET ADMODVM
REVERENDIS, MAGNIFICIS DOMINIS
ET AMPLISSIMIS VIRIS,

TESTAMENTI OLIM,

GENEROSI DOMINI,

D. MARTINI

IN RACIBOROWICE

RACIBOROWSKI,

TRIBVNI OSVENTIMENSIS,

EXECVTORIBVS.

Salutem & perennem felicitatem,

D*VM recens nato gratulabundus applaudit Orbis salutis humanæ Assertori, & recens natus felicitates Diuinas, lætabundo cælitùs importat Orbi: Ego lugubre mortis affero lamentum,* PERILLVSTRES, *&* ADMODVM REVERENDI, GENEROSI, *&* MAGNIFICI DOMINI, DOMINI *&* PATRONI AMPLISSIMI. *Dùm cælestis Curiæ Musurgi, non auditum hac-*

tenùs in terris, pacis & gloriæ inchoant concentum: Ego luctuoſam victricis Libitinæ intono næniam, & feralem leſsum. Dùm REGES adextremùm, venienti cælorum & terrarum REGI, Aurum, Thus, & Myrrham, Regia ferunt munera: Ego pro auro, fel merum doloris, pro thure, abſynthium mœroris, myrrham verò veri amaroris, inter occaſum, & fatalem obitum, Generoſi olim, & Magnifici Domini, D. MARTINI, in Raciborowice, RACIBOROWSKI, Ducatuum Zatorienſ: & Oſuentimenſ: Tribuni, virtute, gloriâ, ſanguine, & meritis clariſsimi Patriæ Ciuis, Ampliſsimis Dominationibus Veſtris, in munus & ſtrenam offero. O fluxam & volubilem alternantis fortunæ, & rotam, & aleam! ò fragilem, & Euripo ſimillimam, humanæ felicitatis viciſsitudinem! Vſq; adeò ſapientis Oraculo, Extrema gaudij luctus occupat, (Prouerb: 14.) Quando vel ipſe Saluator, quanquàm cælis pariter & terris, æternum optatiſsimo aduentu in orbem ſuo, attulit gaudium: inter ipſa tamen, natalium ſuorum tripudia, primam cæleſtis pupulus, in carne humanâ vocem, plorans emiſit. Celebramus pariter, ſolemni cælorum & terrarum applauſu, & Saluatoris recens nati incunabula, & lachrymabilem Magnifici Domini, D. MARTINI in Raciborowice, RACIBOROWSKI, magno omnium dolore, luctu, & lachrymis exſtincti, funeris pompam deducimus. De dato nobis ſalutis Datore, & Authore vitæ gaudia geſtientes ducimus, & erepto nobis, ſummâ nouercantis fortunæ inuidiâ, & mortis rapinâ, vnico omnium, ac noſtro Delicio, lachrymas dolentes fundimus. In hoc tamen, tàm acerbo, & calamitoſo tanti viri occaſu, hoc vnicum nos conſolatur, quòd licet mors auara, in ſpolium inſatiatæ crudelitatis ſuæ, cineres piè defuncti rapuit, in illius tamen animum & animam, ius non habuit. Et victricem quidem animam corporis vinculo ſolutus, & magni Patroni ſui, Diui inquam MARTINI veſtigia ſecutus, cælo glorioſus intulit. Exempla

verò

verò animi virtutum, religionis in DEVM, *pij in Ecclesiam affectûs, cultûs in Clerum, & totius vitæ suæ, benè beatèq; peractæ, & glorioso fine coronatæ, terris ad imitandum reliquit. Quid de illius in Patriam meritis, & exantlatis, pro Reipubl: salute laboribus, cæterisq; Ethicis, Politicis, & Heroicis Qualitatibus dicendum? Fuit enimuerò Vir, Sapientiæ, Prudentiæq;, & experientiæ incomparabilis, in rebus gerendis dexterrimus, in componendis controuertentium litibus, plusquàm fortunatus, in publicis, priuatisq; consessibus iucundus, vt Gratias ipsas, & lepores Atticos, ex illius ore fluere videres; demum in tractandis tàm amicorum, quàm Reipubl: & Regum ipsorum negotijs, ita felix, ita efficax, vt ad hoc ipsum, non tàm arte formatus, quàm natus esse videretur. Legum Regni & iurium peritissimus fuit, adeò tanquàm ad Oraculum, pro dissoluendis intricatissimis causis, tanquàm nodis Gordijs, ad eum certatim confluebant. Ad Vniuersalia Regni Comitia, nomine Zatorien: & Osuentimen: districtuum, Varsauiam plùs Septies Legatum egit, vbi, quantùm prudentiâ, & consilio valeret, vniuersa spectauit Respublica. Ad generalia itidem Tribunalis Lublinen: & Petricouien: iudicia, circiter decies Iudex deputatus exstitit, vbi æquè atq; vbiq; iustitiæ Zelatorem acerrimum, pupillorum tutorem, amicorum subsidium, inimicorum fautorem, & oppressorum à potentioribus fulcrum, & columen inconcussum sese præbuit. Quod munus adextremum, hoc ipso etiam excessûs sui è viuis anno, Communibus votis, humeris suis impositum suscepisset, feliciterq; vt antè toties, tractasset, nisi iudicium aliud Diuini Tribunalis, sibimet instare præsentiens, suffragia sua alteri cessisset, & ad illud sese comparasset. Quid plura? in vita dum ex duabus Generosissimis Coniugibus, alterâ, ex Nobilissima Generosorum, & Magnificorum Dominorum* TRZEBINSCIORVM *Domo, alterâ, ex Antiquissima, æquè*

ac

ac Nobiliſsima, Generoſorum & Magnificorum Dominorum PŁOMIENSCIORVM *Familiâ, Generoſa Domina* MARIANNA *de Brzezie* PASZKOWSKA *fideliſsimâ, amantiſsimaque ereptum Coniugem, turturis inſtar gemente Conſorte, cùm diu multumq́; expetitam, non ſuſcepiſſet prolem; bonorum ſuorum omnium, Eccleſiam, Amicos, Conſanguineos, & famam immortalem, reliquit heredes. Verùm hæc, & alia etiam luctuoſo proſequi tentabam carmine, quod leuidenſe operis mei qualiscunq́; penſum, Vobis* AMPLISSIMI, & DIGNISSIMI VIRI, *vt olim viuenti, ita & vitâ functo, ſanguine & affectu coniunctiſsimi, atq́; vltimæ eius voluntatis, fidiſsimi* EXECVTORES, *præſentandum duxi; vt ſub eorum, in lucem prodeat Patrocinio, ſub quorum exanimati Cineres, in Tumulum abeunt curâ & ſtudio. Incultæ & ineruditæ ignoſcetis Camænæ. Hæc enim non tàm calamus, ab eiuſmodi functionibus alienus, & ab ijsdem multò iam tempore deſuetus, quàm ſincerus in piè Defunctum, meiq́; & Eccleſiæ meæ amantiſsimum Collatorem affectus concinnauit.*

Perilluſtrium & Adm RR. Generoſarum & Magnificarum DD. VV.

Humillimus in Chriſto Seruus,

NICOLAVS PASCIVS,

Plebanus Pobiodrenſis.

ELE-

ELEGIA,

MOrtuus eſt flendus lachrymarum fonte Tribunus,
 O Equites, Equitum gloria, mortuus eſt!
Aonides mæſtæ, nec amænæ flete Camænæ.
 Occidit Aonij luxq́; decuſq́; chori.
RACIBOROWSKI MARTINVS, Martius ille
 Occidit, heû, ſanguis, Martis & Artis amor!
Terris ereptum tam Martis, vt Artis Athletam
 Flete doloriferæ Martis & Artis Apes!
Ille domo clarâ, claris natalibus ortus,
 Et patriâ clarum nobilitante genus,
Non Tibi degenerem trabeata Siradia vitam,
 Congenitam SARIIS duxit at ille ſuis.
Vtq́; triplex Telum patrio pro Stemmate geſsit,
 Triplice ſic HASTÂ meta petita triplex.
Scilicet & patriæ, quâ nil ſibi carius vnâ,
 Proſapiæ, & magno dimicuêre DEO.
Incipere vndè ſuum res & primordia ducunt,
 A rerum Domino noſtrum erit incipere.

Nulla

Nulla valet ſtructura, valent molimina nulla,
Fundamenta DEI ni timor ipſe locet.
Rurſus vbi DEVS ipſe rei fundamina iecit:
Perſtat, & æternùm non moritura viget.
Aſsiduâ quamuis cælum vertigine nutat,
Stat tamen, & conſtans in leuitate ſua eſt.
Continuis dubium momentis vertitur æquor,
Altaq; prætumidis fluctibus aſtra petit.
Illi ſed quales Author præſcripſit Olympi,
Non audet leges exſuperare ſuas.
Barbara quæ ſteterât ſine Numine pegmata Memphys,
Lapſa ſuper clades procubuêre ſuas.
Omnia cum Domino quæ ſtant durare neceſſe eſt.
Abſq; DEO quæ ſtant collabefacta ruent
RACIBOROWSKI peteret dum culmen Olympi,
Numinis auſpicio vela ſecunda dedit.
Omnis quouè ſui meliùs cadat alea fati,
Orſus ab immenſi eſt cuncti timore DEI.
Vtq; ſuæ ſtructura domûs perduret in æuum,
In ſtabili poſuit fulcra baſeſq; petra.
Illi non generis, (licet alti ſanguinis Heres
Et genus & veteres ordine narrat Auos)
Clariq; ingenij (licet hic ſapientia ſedem
Fixerat, in magno ceu Salomone ſuam)

Et

Et nec opum, nec honorũ aderat iactantia, (quãquam
Alea pacatæ ſortis vtrumq́; tulit.)
Rex ſcopus ipſe Poli, quem collimauit ad vnum,
Hic ſcopus à ſcopulis protegit ipſe ſcapham.
Alma fides, Diuûmq́; timor, cultusq́; Tonantis,
Diuinæ viuax & pietatis amor,
Cordis opes. Hinc tot coluit quæ pectore toto
Sacrati tenuit iura ſodalitij.
Inde ſacris MARIÆ deuotus cultibus, eius
Feſta colens dapibus ſacra Synaxi tuis.
Blanda ſubiuit amans tantæ Scapularia Matris,
Cingat eum ſcapulis vt pia VIRGO ſuis.
Omnigeni floris Sacrum ingreſſusq́; Roſetum eſt,
Carpat Olympiacas vt ſine vepre roſas.
Res miranda fuit, quouis dum tempore feſto,
Sacræ aderat præſens (res imitanda) rei.
Omnis ei longè diſtractio, fixa ſed aris
Mens oculusq́; nefas os aperire fuit.
Vnde frequens adijt loca ſacra, quotannis obiuit
KALVARIANA tuas per iuga CHRISTE vias.
Sæpè tua VIRGO qui claret Imagine montem
Luſtrauit. Breuitas plura referre vetat.
KOZLAROGVS SARIVSuè vetus, tria Triplicis HASTÆ
Vulnera, pro vera Religione tulit.

Is. fuit Hic Sarivs pro Relligione, tueri
Quam linguâ poterat, Marte paratus erat.
Zelator Patriæ ſed erat quoq;. Summe Virorum,
Area quæ meritis hic reſerata Tuis?
Ardua res certè eſt Sapientia, carior auro,
Et ſapiens pretium vir ſuperauit opum.
Teius Ariſtotelis doctos Appellico libros
Magno emit, & libros ô Theophraſte tuos.
Orator felix! oratio mira talentis
Vicenis magno vendita ab Iſocrate.
Reddidit auguſto ſeſtertia dena Maroni,
Pro quouis è tot verſibus Octauia.
Ipſe Philolaum denis Plato millibus emit,
Ipſeq; Speuſippum pluris Ariſtoteles:
Et pro ſex Elegis, ſexcentos Aureus Author,
A Venetis nummos rettulit auriferos.
Neuè lucris inhiet tantùm ſitienter, habendus
Alcides ſapiens alter, & Alter Atlas.
Summus Theſſaliam Cyneas quatit ore diſerto,
Ore Pericleo Græcia victa tremit.
Ipſe potens linguâ Catilinam Tullius, ipſum
Antonivm nullo Marte ſed Arte domat.
Sic erat & poſitis Victor præclarior armis,
Sic primus Patriæ dictus ab vrbe Pater.

Et

Et quid plura canam? Talem Te ſumme Virorum
RACIBOROWSKI Patria noſtra tulit.
Tu Cyneas noſter, Tu Lechicus ore Pericles,
Tu Patriæ noſtræ Tullius alter eris.
O quot muneribus præerat feliciter ille!
Pro Patria quantis functus & officijs!
Seû fors Mercurio ſimilis Comitia Regni
Viſit Atlantiaden nomine gentis agens,
Verus zelator Patriæ, zeloſus amator,
REGIBVS & magnis regia verba dedit,
Et REGES ipſos pro libertate tuenda
Fortis Eques, REGVM & Sceptra timere negans.
Nonnè LADISLAVS REX illius ore coactus,
Expoſitum Lechicis colligit agmen agris?
Turcarum noſtro diſcrimine nonnè Tyrannum
Dum peteret, greſſus hoc refragante refert?
Iudiciale datum ſeu conſcendiſſe Tribunal,
Vel quà Lubliacâ Themis in vrbe ſtetit.
Marſchalcum (vt ſileam, quod eum Zatoridos ora
Deputat, & toties) hic quoq; lectus agit.
Et quis iuſtitiæ, quis eò ſeruantior Æqui?
Cuius ei ſtudium primaq; cura fuit.
Nempè vbi deſcendit terras Aſtræa, Polumq;
Liquit, in illius corde quieuit amans.

Seû Osuentimij Te Præside munus adimplet,
Magne Komorowski, Præsidis atq; vices:
Illius exactas conquestus nemo Querelas,
Iudicij recti nulla querela comes.
Seû certè iudex à Maiestate vel ipsa,
Pro discernendis præficeretur agris:
Dum rem congenita pro dexteritate, fideq;
Iudicio magno sollicitèq; gerit.
Verus habebatur Radamanthus, & Æacus alter,
Ipseq; Cambyses, ipse Seleucus erat.
Construe perpetuam gratis in cordibus vrnam,
Osuentimiacæ nobilis Ordo plagæ.
Altaq; facta Tui, præclaraq; gesta Tribuni,
Infer amans animo non moritura tuo.
Tantus erat certè, nostrâ cui iudice Musâ,
Non similem poteris non habuisse parem.
Verùm prosapiam pariter, Sariiqve Sarissa,
Raciborovsciadûm texerat ista domum:
Vtq; vetustorum Sariorvm luce refulsit:
Sic Sariis certè lux erat ipsa suis.
Marte sati Raciborovsci, fortesq; Iavorsci,
Atq; Iaroszkovsci, sanguine iuncta phalanx,
Titan quod cælo est, stellis, pictisq; planetis,
Et Lunæ, vndè suas accipit illa faces:

Raci-

RACIBOROWSKI MARTINVS Sol velut alter,
Hoc fuit, hoc vobis, atq; futurus erit.
In cælum tollant alij, faſtumq; tumentem,
Et luxum, & pompam prodigioſa mala.
Blanda parens rerum Natura ſuperflua vitat,
Contenta eſt paucis, ſola neceſſa iuuant.
Vnius inſtinctum ſi patria noſtra ſequatur,
Non malè conſuleret patria noſtra ſibi.
Nam quibus augmentis Romana potentia creuit?
Sobrietate ſtetit, luxibus interijt.
Vnica pompa Lechis, & luxus ductus ad augem:
Hinc mala cuncta premunt, interitusq; propè eſt.
Sic RACIBOROWSKI Naturæ Exemplar & Icon,
Deduxit vitæ tempora longa ſuæ.
Hoc bona multa modo legit, liquitq; nepoti,
Præcipuèq; Tibi RACIBOROWSKI SIMON.
Eheû munificus Tibi Patruus occidit ille!
Occidit ille tuæ dexteritatis amor!
Vsq; adeò ſæuos exerces Parca furores,
Parcere nec iuueni nata, nec apta ſeni.
Mors rapit ah omnes, omnes rapit Atropos atra,
Vincere nec cuiquam fata Suprema licet.
O RACIBOROWSKI, quid Te ſanguisq; genusq;
Nunc iuuat, & claræ clara propago domus?

Rara quid in Lechico Sapientia viſa Senatu?
Conſilium ſolers, ingeniumq́; ſagax?
Tum vitæ probitas, grauiumq́; modeſtia morum?
Candor & illimi corde, vel ore nitens?
Vt Capvt ecce iacet Regni Comitia doctum
Vertere, pro patrij commoditate boni!
Vt rota fortunæ, quæ ſemper ſtabat in auge,
Nunc teritur præceps, præcipitemq́; terit!
Sic nec opes, nec vis à morte tuebitur vlla:
Omnia falce graui trux Libitina quatit.
Res tamen eſt ictum mortis, quæ neſcit & actum,
Gloria magnorum non moritura virûm.
Et viuax animus morti concedere neſcit:
Et palmam victæ gloria mortis habet.
Quà patet ad vaſtum Septemtrio Balthidos æquor,
Terminat & Lechicas Caſpia Tethys aquas.
Viuet honorati laus inuiolata Tribvni:
Nõ premet hanc, Cinerẽ quæ premit vrna breuem.
Illam Oratorum linguæ, vatumq; loquentur,
Et Lechici Annales, Hiſtoriciq; canent:
Et magno amiſſum, longoq́; dolore requirent,
Oſuentimiacæ Zatorideſq́; plagæ.
Sed nè terrigenûm tantummodò viuat in oris,
Hunc Helice cœlis, hunc Cynoſura vehent.

Curri-

Curribus Arctois portabit in aſtra Bootes,
Nectar vbi Superûm cum Diomede bibet.
Ambroſiæq; dapes. Ad quas, dum vita manebat,
Mente cucurrit ouans, ore cucurrit amans.
Tum demùm moriens, vitam ſic clauſit, vt actus
Vltimus, eſſet ei primus ad aſtra gradus.
Æterna vt ſtrueret ſibi tabernacula, plures
Præ ſe miſit opes, prouidus ipſe ſui.
Tempore pulſauit quo limina pauper & aures,
Et quicunq; ſuâ verè eguiſſet ope.
Exhibuit vultum facilem, laxamq; roganti
Porrexit dextram, ſubſidiumq; tulit.
Res teſtamento ceû dilargitus amicis,
Pluribus Eccleſijs ſic bona plura dedit.
Non clauſam dotata canet CALVARIA dextram,
Non Gay, non aliæ, præcipuèq; Pobiodr.
Vt verò Lacheſin deducere ſtamina ſenſit,
Et rumpi vitæ iam propè fila ſuæ.
Mirâ Diuinam ſumpſit pietate Synaxin,
Meq; voluntati, CHRISTE, reſigno tuæ,
Imus, ait, quocunq; vocas; & plura locutus,
Irriguo canas proluit amne genas.
Nunc ſe Supremi parat ad certamen agonis,
Vncta reuiuificat membra malagma ſacrum.

Pro

Pro clypeo nomen IESV, MARIÆQ; Parentis,
SANCTORVMQ;, piâ voce vocauit opem.
Atq; manus Domini, cælum ſpeculatus, in ipſas,
Exſpirans animam fortis Athleta dedit.
Cede Megæra furens, Styx effera cede. Triumphat
Æternùm, æternam vincit & HASTA necem.
Eia vale Coniux, cariq; valete BYKOWSCY,
PASZKOWSCY, XIĘSCY, tota propago vale.
At Tu TRZEBINSKI verè digniſsime Myſtes:
Defuncto quo non carior alter erat.
More tuo facienda facis, faciendaq, faxis,
Manibus & facilem dasq;, dabisq; manum.
Eccè rogant Superos populi, quibus æra pepercit
Debita, datq; pias vulgus ad aſtra preces.
Noſtra nec abfuerint ſuffragia, flete, perennem
Dicamus requiem, quâ potiatur, Amen.

AD LECTOREM.

Parcos me parces verſus feciſſe malosq,
Ad Tumulum Magni Lector Amice VIRI.
Non ego Parnaſſi, non ſcando cacumina Pindi:
Hippocreneis non ego potor aquis.
Tityrus & Corydon, meus eſt, & Mopſus Apollo:
Thyrſis Thyrſus, ager vena, Thalia Pales.
Quæ tamen hic calamus, non Entheus, egit agreſtis.
Heu! Amor exſtincti iuſſit Honorq; VIRI.